



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 12. De Fine Laudum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

stante defumitur, in quo statim ab initio præcipitur, ut in Suffragijs semper post Commemorationem Apostolorum Commemoratio de S. Udalrico, & alia de S. Afra & Sodalibus fiat: Ad quod dubium ex dictis in §. 11. n. 2. de Laudibus responderetur, de S. Andrea Apostolo tanquam digniore ante S. Udalricum faciendam esse Commemorationem; neque Proprium Diocesæ aliud velle, quàm quòd post Commemorationem Apostolorum etiam de S. Udalrico, & de S. Afra facienda sit Commemoratio, quod verificatur, etiam si alia inter ipsos & SS. Apostolos Commemoratio ratione majoris dignitatis intercedat; alioqui si SS. Trinitas esset Titularis, de hac post S. Afram Commemoratio facienda foret, quod utique dici non potest. Et ideo nempe Rubricæ in §. 35. de Suffrag. dicunt, Commemorationi de B. Virgine & Apostolis adjungi Commemorationem *de Patrono, vel Titulo Ecclesie* ante vel post Commemorationem de Apostolis, ut indicaret, interdum Titularem, interdum Patronum præferri posse Apostolis, si scilicet digniores sint illis. Neque obstat, quòd priori §. dictum sit, Patronum in Commemoratione præferri debere Titulari; hoc enim intelligendum est, si in pari gradu sint constituti, v. g. uterque sit Martyr, unde ibidem vocem *regulariter* addidi.

IV. Alij verò dubitarunt, an si quis plura beneficia habeat, de singulis Patronis vel Titularibus Commemorationem facere debeat? ad quod dubium affirmativè respondendum est cum Busenbaum l. 4. c. 2. du. 2. a. 1. n. 9. & pluribus ibi cit. quia par est omnium ratio.

V. Cedunt hæc communes Commemorationes Commemorationi Festi Simplicis occurrentis, quia Festi Commemoratio privilegiata est ob titulum festivum, atque adeò meritò alijs communibus Commemorationibus præfertur.

VI. Modus recitandi hæc Suffragia idem est cum eo, quem supra in Commemorationibus specialibus observandum diximus.

§. XII.

De Fine Laudum.

I. **P**ost Orationem dictam, & factas Commemorationes dicitur *Dominus vobiscum* (aut si nondum quis Diacono

nus sit) *Domine exaudi*; tum subjungitur *Benedicamus Domino*, & *Fidelium anima*, nisi aliud Officium v. g. de B. Virgine, aut Defunctis, aut Litaniæ in festo S. Marci, & Ferijs Rogationum sequantur; tunc enim Versus *Fidelium* omittitur, juxta Gavant. *sect. 5. c. 22. n. 4.* quod etiam aliàs fit, si post quamcunque horam aliud quid, v. g. Missa vel Officium sequatur. Rationem addere videtur Gavantus l. c. dum sic ait: *Neque dicitur (Versus Fidelium) si aliud sequatur, ut Missa, vel Officium parvum B. MARIÆ, septem Psalmi, Litania, in quorum fine dicitur Fidelium: vel Officium Defunctorum, in quo abundantius pro iisdem oratur.* Sed hæc ratio locum non habere videtur in Litanis B. Virginis interdum post Vesperas cantari solitis, utpote quæ ex communi praxi solâ oratione, & benedictione cum Venerabili clauduntur; quod idem etiam in Matutino Nativitatis Christi fit, quod juxta Gavantum per *Benedicamus* claudi debet, & tamen non dicitur *Fidelium* in fine solemnissimæ Missæ.

II. Post Versum *Fidelium*, si terminandum sit Officium, dicitur *Pater noster*, *Dominus det nobis suam pacem*, & Antiphona *Salve Regina*, vel alia pro ratione temporis, & in fine additur *Divinum auxilium*. Si autem non terminandum sit, tum post Versum *Fidelium* dicitur *Pater & Ave & Credo* pro Prima, & post ultimam horam, post quam terminatur Officium, dicitur *Pater noster. Dominus det nobis: Antiphona Salve Regina*, aut alia similis. *Divinum auxilium. &c.*

III. Qui recitat pridie Vesperti Matutinum cum Laudibus, potest etiam statim recitare Litanias, si dicendæ sunt, quia accessorium sequitur naturam sui principalis. Gavant. *sect. 6. c. 16. n. 6.*

TITULUS III.

DE PRIMA.

§. I.

De initio Primæ.

AD initium Primæ semper dicitur *Pater, Ave, Credo*. Versiculi quoque *DEVS in adiutorium* semper subjunguntur, excepto ultimo triduo Sacræ Hebdomadæ.

§. II. De